

Qualia nomina a christianis rejicienda.

LXI. Quare reprehendendi sunt, qui gentilium nomina, et eorum præcipue qui omnium scleratissimi fuerunt tam diligenter consecrantur, et pueris imponunt: cum ex eo intelligi possit, quantachristiane pietatis studium faciendum existimat, qui impiorum hominum memoria tantopere delectari videntur, ut velint fidelium aures hujusmodi profanis nominibus undique circumsonare.

Totius de baptismo tractatus recapitulatio.

LXII. Haec de baptismi sacramento, si a pastorebus explanata fuerint, nihil eorum fere prætermisso esse videbitur, quæ ad hanc cognitionem maxime pertinere existimanda sunt. Demonstratum est enim, quid ipsum baptismi nomen significet; quæ sit ejus natura et substantia; tum ex quibus partibus constet. Dictum est a quo institutus fuerit; qui ministri ad conficiendum sacramentum necessarii sint, quoque tanquam pedagogos ad sustentandam baptizati imbecillitatem adhibere oporteat. Traditum est etiam quibus, et quemadmodum animo affectis baptismus administrari debeat; quæ sit ejus virtus, et efficientia; postremo qui ritus et cæremonie serventur, quantum proposita ratio postulabat, satis copiose explicatum est. Qua omnia ob eam præcipue causam docenda esse pastores meminerint, ut fideles in hac cura et cogitatione perpetuo versentur: ut in iis, quæ adeo sancte et religiose spouonderunt cum baptismo initiati sunt, fidem servent atque eam vitam instituant quæ sanctissimæ christiani nominis professioni respondeant.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

Confirmationis sacramentum explicandi tempus et necessitas.

I. Si in sacramento confirmationis explicando pastorum diligentia requirenda unquam fuit, nunc certe opus est illud quam maxime illustrare, cum in sancta Dei ecclesia hoc sacramentum a multis omnino prætermittatur: paucissimi vero sint, qui divinae gratiæ fructum quem deberent, ex eo capere studeant. Quare fideles ita de hujus sacramenti natura, vi dignitate tum in die Pentecostes, quo præcipue die administrari solet: tum aliis etiam diebus cum id pastores commode fieri posse judicaverint, docendi erunt, ut intelligent, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate et religione suscipiendum: ne ipsorum culpa, maximoque malo eveniat, ut frustra in eos divinum hoc beneficium collatum esse videatur.

Hoc sacramentum, cur Confirmatio nuncetur.

II. Sed ut a nomine initium sumatur: Confirmationem ab Ecclesia (a) hoc sacramentum idcirco vocari docendum est, quoniam qui baptizantur est, cum ab episcopo sacro chrismate ungitur, additis solemnibus illis verbis: Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nisi aliud sacramenti efficientiam impedit novæ virtutis robore firmitior, atque adeo perfectus Christi miles esse incipit.

Confirmatio est sacramentum.

III. In confirmatione autem, veram et propriam

(a) Conc. Aur. c. 5. Item Florent.

sacramenti rationem catholica Ecclesia semper agnovit : quod et Melchiades pontifex (a) et plures etiam alii sanctissimi et vetustissimi pontifices aperte declarant. Ac sanctus Clemens (b) ejus veritatis doctrinam graviori sententia comprobare non potuit ; inquit enim : *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, et demum ab episcopo consignari, id est, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere : cum aliquoquin perfectus christianus nequaquam esse possit qui injuria et voluntate, non autem necessitate compulsa, hoc sacramentum pretermiserit, ut a beato Petro accepimus, et ceteri Apostoli, praeципiente Domino, docuerunt. Hanc vero eamdem fidem doctrina sua confirmaverunt qui eodem Spiritu pleni pro Christo sanguinem profuderunt Urbanus, Fabianus, Eusebius, Romani pontifices, quemadmodum ex eorum decretis licet perspicere. Accedit præterea sanctorum Patrum consentiens auctoritas : inter quos Dionysius Areopagita (c), Athenarum episcopus, cum dicere qua ratione hoc sacrum unguentum conficerre eoque uti oportaret, ita inquit : *Baptizatum sacerdotes induunt veste congrua munditia, ut ad pontificem ducent : ille vero sacro atque prouerso divino unguente baptizatum signans, sacratissimæ communionis participem facit. Eusebius quoque Cæsariensis (d) tantum huic sacramento tribuit, ut dicere non dubitarit : Novatum haëreticum Spiritum sanctum promereri non potuisse : quia, cum baptizatus esset, in gravi ægritudine signaculo chrismati non est signatus. Sed clarissima habemus hujus rei testimonia tum**

(a) Epist. ad episc. Hispan. c. 2. Epist. 4 ante finem.—
(b) Habet de cœtra horum Pontif. de Consecrat. dist. 5.—
(c) S. Dionysius, de Eccles. hier. c. 2. — (d) Lib. 6. Histor. c. 43.

a divo Ambrosio. (a) in eo libro, quem de iis qui initiantur, inscripsit, tum a divo Augustino in libris quos adversus Petilianum Donatista Epistolæ edidit : (b) quorum uterque adeo de hujus sacramenti veritate nihil dubitari posse existimavit, ut eam multis Scripturae etiam locis doceat ac confirmet. Quare altera quidem verba illa Apostoli : (c) Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis : aliter vero quod in Psalmis legitur : (d) Sicut unguem, tum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron : tum illud ejusdem Apostoli : (e) Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ad confirmationis sacramentum referri testatus est. *Confirmationem esse sacramentum habes insuper ex Ambros. de sacrament. lib. 3, c. 2, lib. de Spiritu sancto, c. 6 et 7. Item August. de Trinit. lib. 45 c. 26, et in Epist. Joan. tract. 3 et 6, et in Psalm. 26, et ante hos omnes, Tertull. lib. de Resurrect. carn. Cypr. Epist. Origin. Hom. 9 in Levit. Hieronym. contra Lucifer. Cyril. Hieros. Catech. 5.*

Confirmationis a baptismo differentia.

IV. Quamvis autem a Melchiade dictum sit baptismum confirmationis maxime conjunctum esse, non idem tamen sacramentum, sed ab altero longe disjunctum existimandum est : constat enim varietatem gratiae, quam singula sacramenta tribuant, et rei sensibus subiecta, quæ ipsam gratiam significat efficiere ut varia quoque et diversa sacramenta sint. *Ep. ad episc. Hispan. in medio.*

(a) Lib. de ins qui myst. initiantur, c. 7. — (b) Lib. 2, c. 10⁴. — (c) Eph. 4, 30. — (d) Ps. 132, 2. — (e) Rom. 5, 5.

Prior differentia.

Cum igitur baptismi gratia homines in novam vitam gignantur, confirmationis autem sacramento, qui jam geniti sunt, viri evadant, (a) evacuatis qua erant parvuli; satis intelligitur, quantum in naturali vita generatio ab incremento distat, tantumdem inter se differre baptismum, qui regenerandi vim habet, et confirmationem, cuius virtute fideles augescunt et perfectum animi robur assumunt.

Secunda.

Præterea, quoniam novum atque distinctum sacramenti genus constituendum est ubi animus in novam aliquam difficultatem incurrit, facile perspicci potest, quemadmodum baptismi gratia ad mentem fidei reformandam indigemus: ita etiam maxime conducere fidelium animos alia gratia confirmari, ut nullo peccatum, suppliciorum, mortis periculo, aut metu a vere fidei confessione deterreantur. Quod quidem cum sacro confirmationis chrismate efficiatur, ex eo aperte colligitur hujus sacramenti rationem a baptismo diversam esse. Quare Melchiades (b) pontifex utriusque discribenit oratione persequuntur, ita scribens: In baptisme homo ad militiam recipitur, et in confirmatione confirmatur ad pugnam; in fonte baptismatis Spiritus sanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam; in confirmatione autem perfectionem ad gratiam ministrat: in baptismo regeneramur ad vitam: post baptismum ad pugnam confirmamur: in baptismo abuiumur; post baptismum roboramur: regeneratio per se salvat in pace baptismum recipientes; confirmation armat, atque instruit ad agones. Verum hæc jam

(a) 1 Cor. 12, 11. — (b) Epist. ad Epist. Hisp.

non solum ab aliis conciliis tradita, sed præcipue a sacra Synodo Tridentina decreta sunt: ut jam de iis non solum aliter sentire, sed ne dubitare quidem ullo modo licet. *Laod. can. 48. Melchiad. c. 6. Florent. et Constant. Trident. sess. 7.*

Sacramenti confirmationis auctor Christus.

V. Quoniam vero supra demonstratum est, quam necessarium esset communitorum de omnibus sacramentis docere a quoniam ortum haberint: idem etiam de confirmatione tradere oportet, ut fideles hujus sacramenti sanctitate magis afficiantur. Igitur a pastoribus explicandum est, Christum Dominum non solum eum auctorem fuisse, sed, sancto Fabiano pontifice Romano teste, (a) chrismati ritum et verba, quibus in ejus administratione catholica Ecclesia uitetur, præcepisse: quod quidem iis facile probari poterit qui confirmationem sacramentum esse confitentur, cum sacra omnia mysteria humanae vires superent, nec ab alio, quam a Deo possint institui.

Sacramenti confirmationis materia chrisma.

VI. Jam vero, quæ sint ejus partes, ac primum quidem de materia dicendum est. Hæc autem chrisma appellatur: quo nomine a Græcis accepto, etsi profani scriptores, quolibet unguenti genus significant, illud tamen, qui res divinas tradunt communis loquendi consuetudine ad illud tantummodo unguentum accommodarunt, quod ex oleo et balsamo solemni episcopi consecratione conficitur. Quare due res corporeæ permista confirmationis materiam præbent: quæ quidem diversarum rerum compositio quemadmodum multiplicem Spiritus sancti gratiam quæ confirmationi tribuitur, declarat, ita etiam ipsius sacramenti

(a) Epist. 2, initio.

excellentiam satis ostendit. Quod autem ea sit hujus sacramenti materia, cum sancta Ecclesia et concilia perpetuo docerunt : tum a sancto Dionysio et compluribus aliis gravissimis Patribus traditum est, in primisque Fabiano pontifice (*a*), qui Apostolos chrismatici confectionem a Domino accepisse nobisque reliquisse testatus est. *Vide Aug. in Psalm. 44, vers. 9, et lib. 15, de Trinitat. c. 26. Gregor. in c. 1 Can. Conc. Laod. c. 48 et Carthag. 2, c. 2, et 5, c. 29. Dionys. de Eccl. hierar. c. 2 et 4. De oleo vide Ambr. in Psalm. 118, et lib. de Spiritu sancto, c. 5. Cyprian. Epist. 70.*

Confirmationis materia cur chrisma sit statutum.

VII. Neque vero ulla alia materia, quam chrismatis, aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hoc sacramento efficitur. Oleum enim quod pingue sit, et natura sua manet ac diffusat, gratiae plenitudinem exprimit, quae per Spiritum sanctum a Christo capite in alios redundat atque effunditur, (*b*) sicut unguentum quod descendit in barbam Aaron, usque in oram vestimenti ejus, (*c*) Unxit enim eum Deus oleo laetitiae praे consortibus suis, ac (*d*) de plenitudine ejus nos omnes accepimus. Balsamum vero cu us odoratus jucundissimus est, quid aliud significat, quam fideles, cum sacramento confirmationis perficiuntur, eam virtutem omnium suavitatem effundere? ut illud Apostoli queant dicere: (*e*) Christi bonus odor sumus Deo. Habet præterea balsamum eam vim, ut quidquid eo circumlitum fuerit, putrescere non sinat: quod quidem ad hujus sacramenti virtutem significandam valde accommodatum vi-

(*a*) Epist. 5, ad Episc. Orient. — (*b*) Ps. 152, 2. — (*c*) 1s. 44, 8. — (*d*) Joan. 1, 16. — (*e*) 2 Cor. 2, 15.

detur: cum plane constet fidelium animos celesti gratia quæ in confirmatione tribuitur, præparatos facile a scelerum contagione defendi posse.

Chrisma consecrandum a solis episcopis, unde?

VIII. Consecratur autem chrisma solemnibus ceremoniis ab episcopo. Ita enim Salvatorem nostrum docuisse in extrema cena, cum chrismati conficiendi rationem Apostolis commendaret, Fabianus pontifex, sanctitate et martyrii gloria clarissimus, tradidit (*a*): quanquam, cur ita fieri debuerit, ratione etiam ostendi potest. Etenim in plerisque aliis sacramentis Christus ita eorum materiam instituit, ut sanctitatem quoque illi tribuerit; non solum enim aquam elementum baptismi esse voluit, cum inquit (*b*): Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei; sed cum ipse baptizatus est, effecit ut ex deinceps vi sanctificandi prædicta esset: quare dictum a sancto Chrysostomo (*c*): Aqua baptismi purgare peccata credentium non posset nisi tactu corporis Domini sanctificata fuisse. Quoniam igitur Dominus hanc confirmationis materiam usu ipso et tractatione non sacravit, necessarium est ut sanctis et religiosis precatoriis consecretur; neque ad alium ea confectio nisi ad episcopum pertinere potest qui ejusdem sacramenti ordinarius minister institutus est.

Sacramenti confirmationis forma.

IX. Sed explicanda erit præterea altera pars ex qua sacramentum constitutur, forma scilicet et

(*a*) S. Fab. Papa, uti supra. — (*b*) Joan. 5, 5. — (*c*) Hom. 4, oper. imperf. et habetur de const. dist. 4, cap. Num. quid.

verba quæ ad sacram unctionem adhibentur; monendique fideles, ut in hoc sacramento suscipiendo, tunc maxime cum eas pronuntiari animadvertunt, ad pietatem, fidem et religionem animos excent, ne quid celesti gratia impedi-
menti esse possit. His igitur verbis confirmationis forma absorbitur: **SIGNO TE SIGNO CRUCIS ET CONFIRMO TE CHRISIMATE SALUTIS, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.** Sed tamen, si ad veritatem rationem quoque revocemus, idem facile probari potest. Etenim sacramenti forma ea omnia continere debet quæ ipsius sacramentum naturam et substantiam explicant. Atqui maxime hæc tria in confirmatione observanda sunt, divina potestas quæ ut principalis causa in sacramento operatur; tum robur animi et spiritus quod per sacram unctionem fidelibus ad salutem tribuitur; deinde signum quo notatur is qui in certamen christianæ militiae descensurus est. Ac primum quidem verba illa: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* quæ extremo loco posita sunt; alterum ea: *Confirmo te chrismate salutis quæ in medio sunt;* tertium quæ in principio formæ locantur: *Signo te signo crucis,* satis declarant. Quanquam si etiam ratione aliqua probari non possit hanc esse hujus sacramenti veram et absolutam formam, Ecclesia catholice auctoritas cuius magisterio ita semper edocti sumus, non patitur nos ea de re quidquam dubitare.

Episcopus confirmationis minister ordinarius.

X. Docere etiam pastores debent quibus potissimum hujus sacramenti administratio commissa sit. Nam cum multi sint, ut est apud Prophetam (a), qui currant neque tamen mittantur:

(a) Jerem. 25. 21.

necessæ est, qui veri et legiti ejus ministri sint, tradere, ut fidelis populus confirmationis sacramentum et gratiam consequi possit (b). Solum itaque episcopum hujus sacramenti confi-
ciendi ordinariam potestatem habere sacra Litteræ ostendunt; nam in Actis Apostolorum (b) legimus, cum Samaria verbum Dei accepisset, Petrum et Joannem ad eos missos esse, qui oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam ilorum ve-
nerat; sed baptizati tantum erant. Quo in loco licet videre, eum qui baptizaverat, quod tantum esset diaconus, confirmandi potestatem nullam habuisse; sed munus illud perfectioribus mini-
stris, hoc est Apostolis, reservatum esse. Quin etiam ubique sacra Scriptura hujus sacra-
menti mentionem faciunt, idem observari potes-
t. Neque ad eam rem demonstrandam deunt san-
ctorum Patrum atque pontificum, Urbani, Eusebii,
Damasi, Innocentii, Leonis clarissima testimonia;
quemadmodum ex eorum decretis perspicuum est. Divus quoque Augustinus graviter queritur de corrupta Aegyptiorum et Alexandrinorum con-
suetudine, quorum sacerdotes audebant confir-
mationis sacramentum administrare. *Episcopum ministrum esse ordinarium confirmationis tradunt Urbanus Papa, Epistol. ad omnes christianos in fine. Eusebius Papa, Epist. 3, ad Episcopos Tu-*
scicæ et Campanicæ. Damasus Papa, Epist. ad Pros.
et cæteros episcopos orthodoxos circumsced. Innocen-
tius Papa, Epist. 1 ad Verent. c. 5. Leo Papa,
Ep. 88 ad Germanicæ et Gallicæ episcopos. Melchiades
Papa, Epistol. ad episcopos Hispanicæ. Clemens
item Papa, Epist. 4. Concil. Wormaciense, c. 8.

(a) Trident. sess. 23, c. 4, et can. 7. — (b) Act. 8, 14
15, 16.

et Florent. de Sacramentis. Horum summorum pontificum Epis. olt̄e habent in tomis Conciliorum tere omnes in primo juxta cuiusque etatē. Vide & super Aug. in quest. Novi Testamenti quest. 42.

Cur episcopus confirmationis sit minister.

XI. Ac jure hoc quidem factum esse, ut ejusmodi munus ad episcopos deferetur, hac similitudine possunt pastores declarare. Ut enim in extruendis aedificiis, etsi fabri, qui inferiores ministri sunt, camenta, calcem, ligna et reliquam materiam parant atque componunt, absolutio tam operis ad architectum spectat; ita etiam hoc sacramentum, quo veluti spirituale aedificium perficitur, a nullo alio, nisi a summo sacerdote administrari opus erat.

Cur addantur et patrini.

XII. Additur vero etiam patrini, quemadmodum in baptismo fieri demonstratum est. Nam si qui gladiatoriā dimicationem subeunt, alicujus indigent cuius arte et consilio doceantur, quibus ictibus ac petitionibus, salvis ipsis, conficere adversarium possint, quanto magis fideles cum sacramento confirmationis, quasi firmissimis armis tecti ac muniti in spirituale certamen, cui æterna salus proposita est, descendunt, ducis ac monitoris indigebunt? (a) Recte igitur, ad hujus quoque sacramenti administrationem, patrini advocandi sunt quibuscum eadem spirituali affinitas conjungitur, quæ legitima nuptiarum secura impedit, ut antea docuimus, cum de patrinis ageretur, qui ad baptismum adhibendi sunt.

(a) Trident. sess. 24, c. 2, de Reform. matrim.

Quæ parochi docere debeant confirmandos.

XIII. Sed quoniam sepe evenit, ut fideles in hoc sacramento suscipiendo aut prepropera festinatione, aut dissoluta quadam negligētia et cunctatione utantur: nam de iis, qui ad eum impie-tatis gradum venerunt, ut illud contemnere et aspernari audeant nihil est quod dicamus; apere-riund est etiam pastoribus, qui, qua etate, quo pietatis studio prædicti esse debeant, quibus confirmationem dare oportet.

Quam justè optet Ecclesia ut omnes confirmentur.

XIV. Atque illud in primis docendum est hoc (a) sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quanquam vero necessarium non est, a nomine tamen pretermitti debet: sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligētia committatur; quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est. Ac sanctus quidem Lucas, cum admirabilem illam Spiritus sancti effusionem describeret, ita inquit: (b) Et factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum. Deinde, paucis interjectis (c): Et repleti sunt omnes Spiritu sancto. Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa sanctæ Ecclesiæ figuram et imaginem gerebat, ad omnes fideles confirmationis sacramentum, cuius initium ab eo die dictum est pertinere. Atque id etiam ex ipsius

(a) De Cons. dist. 5, c. 2 et 3. Item Conc. Aur. c. 3. Hugo de Sanct. Vict. de Sacr. lib. 2, p. 7, c. 39. —

(b) Act. 2, 2. — (c) Ibid. 4.

sacramenti ratione facile colligitur: illi enim sacro chrismate confirmari debent, quibus spirituali incremento opus est, et qui ad perfectum christianae religionis habitum perducendi sunt: at nulli id non maxime convenit: ut enim hoc spectat natura, ut qui in lucem eduntur, adolescent, atque ad perfectam etatem perveniant, etiamsi interdum quod vult minus assequatur: ita communis omnium mater catholica Ecclesia vehementer optat ut in eis, quos per baptismum regeneravit, christiani hominis forma perfecte absolvatur: id autem quoniam mystice unctionis sacramento efficitur, perspicuum est eam ad universos fideles æque pertinere.

Quænam ætas in confirmatione requiratur.

XV. In quo illud observandum est omnibus quidem post baptismum confirmationis sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint; quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit. Neque enim confirmatione ad salutis necessitatem instituta est, sed ut ejus virtute optime instructi et parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sane pugnat genus puerorum qui adhuc usum rationis carent, nemo aptos esse judicarit.

Quanta cum reverentia sit ad confirmationem accedendum.

XVI. Ex his igitur efficitur ut qui adulta jam ætate confirmandi sunt, si quidem hujus sacramenti gratiam et dona consequi cupiant, eos non solum fidem et pietatem afferre, sed graviora etiam peccata quæ admiserunt, ex animo delere oportet.

teat. Quia in re elaborandum est ut peccata etiam prius confiteantur, et pastorum cohortatione ad jejuna et alia pietatis opera suscipienda incitentur ad monitumque laudabilem illam antiquæ Ecclesiae (*a*) consuetudinem renovandam esse, ut non nisi jejunii hoc sacramentum susciperent: quod quidem fidelibus facile persuaderi posse existimandum est, si hujus sacramenti dona admirabiles effectus intellexerint.

Confirmationis effectus primus.

XVII. Itaque pastores docebunt, confirmatione hoc cum ceteris sacramentis commune habere, ut nisi impedimentum aliquod ex parte ejus qui recipit, inferatur, novam gratiam tribuat: etenim hæc sacra et mystica signa ejusmodi esse demonstratum est, quæ gratiam declarant atque efficiunt. Ex quo sequitur, ut peccata etiam condonet ac remittat, quoniam gratiam simul cum peccato ne fingere quidem nobis licet.

Secundus.

Sed præter hæc, quæ cum aliis communia censenda sunt, primum quidem illud proprio confirmationi tribuitur, quod baptismi gratiam perficit: qui enim per baptismum christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti teneritatem adhuc et mollitatem quamdam habent, ac deinde chrismatis sacramento adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus robustiores fiunt, et eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum et glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi: ex quo etiam nomen ipsum inventum esse nemo dubitarit.

(a) D. Thom. p. 5, q. 72, ad 2 Conc. Aur. c. 2.

Error quidam resulatur.

XVIII. Neque enim, ut quidam non minus imperite quam impie fixerunt, confirmationis vocabulum ab eo deducitur, quod olim infantes qui baptizati erant, cum iam adulti essent, ad episcopum adducebantur, ut fidem christianam, quam in baptismō suscepserant, confirmarent: ita ut confirmationē, (a) nihil a cœchesi differre videatur, cuius consuetudinis nullum probatum testimonium affliri potest: sed ab eo nomen eo impositum est, quod hujus sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat quod baptismō operari cœpit, nosque ad christiana soliditatis perfectionem adducit.

Tertius effectus.

Nec vero confirmat solum, sed auget etiam: de quo Melchiades ita testatur, (b) Spiritus sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmationē augmentum præstat ad gratiam: deinde non auget modo, sed admirabili quadam ratione auget. Hoc autem pulcherrime indumenti translatione Scriptura significavit atque expressit. Inquit enim Dominus Salvator cum de hoc sacramento loqueretur: (c) Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

Efficiencia confirmationis exemplo declaratur.

XIX. Quod si pastores voluerint divinam hujus sacramenti efficientiam ostendere (hoc vero ad commovendos fidelium animos maximam vim habitum esse dubitari non potest), satis erit quid

(a) Trid. sess. 7, can. 1, de Confirm. — (b) De cons. dist. 5, c. Spir. Euseb. Emis. Hom. in die Pent. — (c) Luc. 24, 49.

ipsis Apostolis evenerit, explicare; illi enim ante passionem, vel sub ipsam passionis horam adeo infirmi et remissi fnerunt ut cum Dominus comprehensus est, (a) statim se in fugam congecerint: Petrus vero qui (b) Ecclesiae petra et fundamen-tum designatus erat, et summam constantiam excelsique animi magnitudinem præ se tulerat, unius muliercula voce perterritus, se Jesu Christi (c) discipulum esse, non semel, aut iterum, sed tertio negaverit, ac post resurrectionem, omnes (d) propter metum Iudaorum inclusi domi se continuerint. At vero in die (e) Pentecostanta Spiritus sancti virtute omnes repleti sunt, ut dum Evangelium quod eis commissum erat, non solum in Iudaorum regione, sed in universo orbe audacter et libere disseminarent, nihil sibi felicius accidere posse existimaverint, (f) quam quod digni haberentur, qui pro Christi nomine contumeliam, vincula, tormenta, cruces perferrent.

Quartus effectus.

Habet præterea confirmatio eam vim, ut characterem imprimat: quo sit ut nulla unquam ratione iterari possit, quod etiam in baptismō supra observatum est, ac de sacramento ordinis quoque suo loco planius exponetur. Haec igitur si a pastoribus sepe et accurate explicata erunt, vix fieri poterit, quin fideles, cognita hujus sacramenti dignitate atque utilitate, illud summa cum diligentia sancte et religiose suspicere studeant. Confirmationē non esse iterandam, vide de Consecr. dist. 5, c. Dictum est, et c. De hom. D. Thom. p. 3, q. 72, art. 5.

(a) Matth. 26, 56. — (b) Matth. 16, 18. — (c) Matth. 26, 69 et d. — (d) Ioan. 20, 19. — (e) Act. 2, 1 et d. — (f) Act. 5, 41.

Ritus et cærementia confirmationis explicantur.

XX. Restat nunc ut aliqua etiam de ritibus et cærementiis quibus in hoc sacramento administramo catholica Ecclesia utitur, breviter perstringantur; quæ explicatio quanto usui futura sit pastores intelligent, si que antea dicta sunt, cum hic locus tractaretur, repetere volunt.

Chrisma et unctione.

Qui igitur confirmantur, sacro chrismate in fronte unguntur: nam hoc sacramento Spiritus sanctus in animos fideliūm sese infundit, in eisque robur et fortitudinem auget, ut in spirituali certamine viriliter pugnare et nequissimis hostibus resistere queant.

Cur in fronte.

Quocirca declaratur eos nullo metu, aut verecundia, quarum affectionem signa maxime in fronte solent apparere, a libera christiani nominis confessione absterrendos esse. *Rhaban. lib. 1 de Institut. cleric. c. 50, et habetur de Consecr. dist. 5, c. Noviss. Aug. in Ps. 141. D. Thom. 5 p. q. 71. art. 9.*

Signum crucis.

Præterea nota illa, qua christianus a cæteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriori corporis parte impressa erat.

Cur in Pentecoste.

Sed illud quoque solemnī religione in Ecclesia Dei servatum est, ut in Pentecoste præcipue hoc sacramentum administraretur, quod hoc maxime

die Apostoli (a) Spiritus sancti virtute roborati et confirmati sint: cujus divini facti recordatione fideles admonenterunt, quæ quantaque mysteria in sacra unctione cogitanda essent.

Alapa.

Deinde vero qui unctus et confirmatus est, ut meminerit se tanquam fortē athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab episcopo ceditur.

Pax.

Postremo autem pax ei datur, ut intelligat se gratia cœlestis plenitudinem et pacem (b) quæ exsuperat omnem sensum consecutum esse. Atque haec summa eorum sit, que de chrismati sacramento a pastoribus non tam quidem nudis verbis et oratione, quam inflammatu quodam pietatis studio explicanda sunt, ut ea inanimis intimisque fidelium cogitationibus inserere videantur.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Ne Eucharistia tractetur indignius, ejus dignitas sapienter explicanda.

I. Quemadmodum ex omnibus sacris mysteriis, quæ nobis tanquam divina gratia certissima instrumenta Dominus Salvator noster commendavit, (c) nullum est quod cum sanctissimo Eucharistiæ sacramento comparari queat: ita etiam nulla gravior aliecujs sceleris animadversio a Deo metuenda est, quam si res omnis sanctitatis

(a) Act. 2, 2. — (b) Phil. 4, 7. — (c) Dionys. de Eccl. hier. c. 6, et de Consecr. dist. 2, c. 2 Nihil in.